

abaco juxta aram, ubi vasa aurea et argentea ad sacrificium reponuntur, sellis duabus pontificis una a dextra altera a leva, circum circa subsellis auleis. Ad hæc totum, et tapetibus, floribus et frondibus est ornatum. Duo in fronte circa aram, totidem e regione cerulei serici vexilla pendebant, in quibus imago divi erat efficta: senex cœnatus et tunicatus, fune francischino ritu cinctus, nudis pedibus erat effectus; tunica nativi coloris nullis larimis, nullis sinibus corpus prope exprimebat; ipse humum spectans, demissa et cana barba prope pectori innitens, radiis vibrantibus in capite fulgens; ligneam ad hæc crucem ultraque manu tenens, humilitatem divinitati mixtam, præ se ferebat maximam. Templi pars summa accensis cereis coluebat, ima frequentissimo populo occupabatur, sed et columnae omnes et epistilia et fenestrarum limina præmentium pondere prope fatiscere videbantur. Nihil in Pontificis pompa innovatum, nihil tam tibi homini curioso celandum. Ibant post lictores, Pontificis familiares et curiæ magistratus, Episcopi inde et Archiepiscopi, quotquot Romæ sunt, insulis caput coperti et sacras vestes induti; omnes Reguli deinde et qui pontificie ditioni subsunt principes viri crucem præibant. Crucem sequebantur cardinales infulas et ipsi saerasque vestes, veluti sacrificaturi, induti. Ceterum, non eodem amictu omnes, nam nec eadem dignitate pollent ejusdemve ordinis omnes censem. Præbant diaconi. Ii undecimi erant: Franciscus Pisanus divi Theodori, venetus, Augustinus Triultius divi Hadriani, mediolanensis, Hercules Rangonius divæ Agathæ, bononiensis, Nicolaus Rodulphus divi Viti, florentinus, Joannes Salviatus divi ... florentinus, Alexander Cesarinus divisorum Sergii et Bachi, romanus, Paulus Cesius divi Nicolai, romanus, Franciottus Ursinus divi Georgii, romanus, Innocentius Cibo genuensis divæ Mariæ in Dominica, Marcus Cornarius divæ Mariæ in via lata, venetus, Alexander Farnesius divi Eustachii, romanus. Sedecim deinde cardinales presbiteri sequebantur: ii erant: Georgius Raimondus Vichius, hispanus, Chrystophorus divæ Mariæ in Ara Cœli, forliviensis, Franciscus Armelinus divi Calixti, perusinus, Silvius divi Laurentii in Lucina, cortonensis, Dominicus Jacobatius divi Bartholomei in Insula, romanus, Pompeius Columnensis divi ... romanus, Joannes Baptista Cavalicensis divi Apollinaris, jarænsis, Andreas Vallensis divæ Agnetis, romanus, Johannes Dominicus Tranensis, romanus, divi Johannis ante Portam latinam, Julius Medices divi Laurentii in Damaso, flo-

rentinus, Laurentius Putius divisorum Quattuor coronatorum, florentinus, Achilles Grassius divæ Mariæ Transtiberinæ, bononiensis, Petrus Aretinus divi Eusebij, Antonius Montius divæ Praxedis, aretinus, Leonardus Aginensis divi Petri ad vincula, genuensis, Nicolaus Fliseus divæ Priscæ, genuensis. Inde episcopi duo, nam quatuor reliqui absunt, Bernardinus hispanus sanctæ Crucis episcopus Sabinensis, et Raphael Riarius savonensis divi Georgii episcopus Ostiensis. Ipse Pontificex insulam gemmis et . . . . splendentem capite gestans, sacramque pontificiam vestem indutus, sublimis sub umbella sella gestabatur. Umbellam legati principum cristianorum, galli, hispani, pannones et venetus gerebant. Pontificem et cardinales, pontificia cohors, quæ tota helvetio pedite constat, stipabat. Ut est consensum in pulpitum ad aram reponit Pontifex, ubi postquam flexis genibus advolutus de more adoravit. Ad cardinales et populum respiciens est conversus, atque in sua sella gestatili iterum considens, orationem de innocentissima vita, et innumeris miraculis Francisci Paulii habuit. Sed quæ pro strepitu vix ab ipsis qui latus ejus stipabant percepta fuerit; postrema ejus pars et peroratio oculis non auribus est percepta, nam ambas ad cœlum manus tendente, Deum optimum maximum præcari coniecumus, ut id in cœlis sanctum ac ratum haberet, quod ipse et christiana ecclesia, in terris statuerent. Præces et peroratio Pontificis (*sic*) lethaniæ a phonascis jocundissime modulatae exceperunt. Dextra se deinde sella cum recepisset, aliam insulam atque alias vestes indutus, horarias præces, quas modulatores succinentes peragerent, inchoavit. Quibus peractis, Regis Gallorum legati ad pedes Pontificis accesserunt, atque quid velint quidve petant nomine Regis ac Reginæ alta voce dicere jubentur. Senior eorum, multis apte admodum præmissis, tandem: « quod bonum faustumque tibi Pontifici Maximo Christianæque Reipublicæ sit, » inquit « ut Franciscum Paulium innocentissimæ vitæ hominem, optime de christiana religione meritum, innumeris fulgentem miraculis, quod Tibi tuoque 159 Sacratissimo Senatui multis ac fide dignissimis testimonii constitit, in Divorum numerum referas, nomine Regis et Reginæ petimus obsecramurque. » Tum Pontifex: « quod bonum faustumque mihi ac Christianæ Republicæ sit, Deoque Optimo Maximo cuius nutu hæc operamur acceptum, innocentissimæ vitæ hominem, optime de religione christiana meritum, innumeris fulgentem miraculis, Divum facio atque in Divorum numerum posthæc repono,